Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

tis inhabitas. qui cognitionem claritatis tue ma-
nifestas. et sanctos tuos coronasti. perfectam me in
hoc agone custodi. Ad imperatorem autem dixit.
Demmorata cognitio comminas michi ut terrens pre-
pares michi mortem: cognosce uero quia magis consentio
me a feris deuorari ut uitam beatam et eternam que apud
christum est merear. quam tue seductioni consentiens
in laqueum incidam mortis eterne. Imperator autem
iussit absolui leonem: ut deuoraret eam. Erat autem
leo rugiens in cubili suo. ut omnes terreret. Vena-
tor autem qui eum nutriebat aperuit caueam. et egressus
leo rugiit super sanctam. non terrorem ostendens sed dilectionem:
et pre dolore insinuans exagitabat uultum faciei
sue dilectionem demonstrans. Et cursum arripiens
perueniens ad sanctam. et inclinans se occubuit ante pe-
des eius. Sancta autem dixit. Fulges in uirtutibus tuis deus.
agmine enim glorioso erga passionem meam subsisten-
te prospicio adexts et simul glorificantes angelos
claritatem tuam. et contradicentes contrarias uirtutes
ferarum immanium et rugitum earum correptione Ale-
xandri mansuetos mores ferarum transferentes.
quos per cognitionem ueritatis ut obdurasti. sic obdu-
ra multimodam et decipientem gloriam eorum qui te
oderunt. nec me communicare cum eis permittas. sed in
penali agone me existentem integram et sospitem
conserues in tua misericordia deus meus. Et hec dicens. ait im-
peratori. Vide imperator que mihi intulisti penarum
et ferarum uirtutem. quia christus qui fecit celum et terram
et omnia que in eis sunt uoluntate patris uictoriosissimus
est. ipsi enim soli omnia subiecerunt. Alexander dixit.
Quoniam ergo furor leonis subiectus est tibi. Sancta uirgo dixit.
Non habeas in incertum ueritatem. sed dilige christum. qui
et Apollinem tuum in puluerem redegit. et arte-
midem sequaces eorum interemit. cognosce uero christum
qui angelis precepit. et contraria et deserta artemen
cum habitante in ea in fauillam a uento mancipa-
uit. Cognosce deum qui illuminauit priores tenebras.
et conuertit errantes. et leonem pacificauit. et per cog-
nitionem tui erroris et confusione tue feritatis mi-
tiorem naturam leonis ostendit. Imperator autem uidens

leonem mansuetis modis et reuerentia amoris er-
ga sanctam. et facie alacrem christi famulam innocentibus
omnibus constanter existere: dixit ad eam. Humilia te-
metipsam moribus et confitere dianam. ipsa enim est que te
adiuuat. Sancta uirgo dixit. Quem ualde diligis apol-
linem. qui animam tuam in perditionem disposuit non se
adiuuauit. nec artemen nequitia eius eripuit. et quomodo
me potest adiuuare aliquid. In nomine domini mei ihesu
christi pagonem meum et martirium ad nichilum redactum est.
Imperator autem iussit leonem remitti in caueam. Sonitu
ergo facto aliquem uenator. et surgens leo impetum fecit et ce-
pit eumenium parentem imperatoris. et interfecit eum.
Tunc omnes clamauerunt uoce magna dicentes. Salua
imperator quoniam deus eius et fere miserantur. et absolue per quam
et dii perierunt pacifici. postquam deus qui in celis habitat
manifestauit demones qui habitabant in ydolis
quos effugauit. Imperator dixit. Nomina martina dianam deam.
et absolueris. Beata uirgo martina dixit. Ego
christum confiteor. qui dat michi et omnibus qui confitentur eum. ut in
nomine eius possimus destruere mendaces deos. hunc autem
quem tu dicis dianam confiteor esse perditum. et ipso habi-
tare demonium malefactorum. non audientem. non ui-
dentem: quem per personam fidelissimam simulate ipso effici
apollinem. Memoror enim dicere christum per apostolum paulum.
non ait in spiritu sancto. Lex enim subintrauit. ut ingrediens
habundaret peccatum. ubi autem habundauit iniquitas.
superhabundauit gratia. Lex uiuit imperator quoniam fa-
cio. quomodo annuntiauerunt prophete: predicauerunt apostoli legis
christi. Hinc autem superhabundauit peccatum per malignam tuam
impietatem eterno interitu temetipsum obligans tuo
peccato et mala conuersatione. superhabundauit autem gratia
christi. ut dissiperet tuum sacrificium malignum. per eos qui conuer-
tuntur auitis tuis et patris tui diaboli. Tunc alexander
iratus. iussit sanctam in carcerem trudi. Impulsa autem di-
gna. ambulabat dicens. Dilecta tabernacula tua domine.
desiderat te anima mea. et adhesit ad te deum uiuen-
tem in secula. Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi.
et a scandalis operantium iniquitatem. Doce animam
meam domine iustificationibus mandatorum tuorum. et mi-
serere mei secundum magnam misericordiam tuam. Et introiuit